

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2086

**Auteur(s)** : Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers [autre]

**Bénéficiaire(s)** : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1252, mars

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers, du consentement d'Asceline, sa femme, donne à l'abbé et au monastère de Saint-Taurin, pour le salut de son âme, de celle de sa femme, de ses ancêtres et de ses descendants, sa grande maison de pierre située à Louviers, près de la grange de Pierre Berselou et la mesure de Nicolas Besting, avec la cour située derrière cette maison, vers la cour de Roger du Martrey, excepté vingt pieds vers la mesure qui fut jadis à Adam du Martrey.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXCI, p. 229-230.

## Dissertation critique

Entre les 1-30 mars 1252 : Pâques tombe le 31 mars en 1252 et le 16 avril en 1251.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis vel audituris, Radulphus de Plancheio, burgensis de Locoveris, salutem in Domino.

Universitati vestre notum facio quod ego, assensu et voluntate Asceline, uxoris mee, pro falute anime mee et dicte uxoris mee, antecessorum et heredum meorum, dedi et concessi et presenti carta confirmavi religiosi viri abbati et conventui Sancti Taurini Ebroicensis, magnam domum meam lapideam de Locoveris, sitam juxta granchiam Petri Berselou, ex una parte, et abotat mesure Nicholay Besteng, et curiam sitam in posteriori parte domus usque ad curiam Rogeri de Martreio, exceptis viginti pedibus apud masuram que fuit Ade de Martreio, et introitum et portam sitos juxta domum Petri Berselou, ex una parte, et portam granchie dicti Petri, ex altera, et masuram Roberti le Tieulier, sitam inter masuram Galteri aus Parisies, ex una parte, et masuram Johannis Tieulier, ex altera ; reddendo de dicta masura Laurentio le Rebos tres solidos debitos eidem et heredibus suis ratione dicte mesure, et viginti quatuor solidos turonenses annui redditus quos mihi Nicholaus Fillete reddere consueverat ad terminos inferius annotatos, scilicet, ad Nativitatem beati Johannis Baptiste sex solidos, et ad festum sancti Remigii sex solidos, et ad Natale sex solidos et ad Pascha sex solidos, pro una pecia terre que sita est inter terram heredum manerii, ex una parte, et vicum de Maurepast, ex altera, et aboutat terre Petri le Maor, reddendo annuatim de viginti quatuor solidis supradictis domino Radulfo de Locoveris, presbitero, duodecim denarios ; habendum et tenendum eisdem religiosi memoratam domum et alia supradicta in puram, liberam et perpetuam ac omnino quietam elemosinam, prout aliqua elemosina liberius aut quietius haberi potest aut possideri, absque ulla redivancia vel seculari emenda, que ad me vel heredes meos aliqua ratione posset inde evenire. Obligo insuper dictis religiosi in contraplegium omnia et singula

que possideo, seu quocumque modo possessuri sumus ego et heredes mei in parrochia beate Marie de Locoveris in feodo sancti Taurini, ad faciendum quod iidem religiosi dictam domum et alia supradicta in perpetuum sicut liberam elemosinam teneant et possideant, et ad hoc me et heredes meos compellant per omnimodam justiciam exercendam in toto feodo quod teneo de eisdem, et omnes expensas quas propter hoc facient ego et heredes mei eis refundimus de nostra substantia et nos propter hoc convenire poterunt coram quocumque iudice ecclesiastico ubi voluerint et viderint expedire ; et renunciavi in hac parte pro me et heredibus meis omni juris auxilio mihi competenti aut competitore aut heredibus meis supradictis, et ego et heredes mei dictam domum et alia supradicta nominatis religiosiis contra omnes nostris sumptibus deffendere et garantizare tenemur. Et juravimus nichilominus, ego et uxor mea, ad sancta Dei Ewangelia, quod omnia predicta et singula fideliter adimplebimus et nullo tractu ipsis contravenimus per nos aut alios. Et obligo me et heredes meos quod domum lapideam sitam inter eandem domum et magnum vicum aut aliquod quod pertineat ad eandem vel memoratos viginti pedes nunquam vendemus, aut redditum de cetero super eisdem, nisi per assensum dictorum religiosorum, et ipsos si ea habere voluerint omnibus in venditione preferemus, et predictam domum et alia supradicta eisdem religiosiis deliberabo specialiter erga capitulum Rothomagense et Teciam, quondam uxorem patris mei, infra festum beati Johannis Baptiste proximo venturum.

In cujus rei testimonium, sigillum curie Ebroicensis una cum meo sigillo presentibus apponi procuravi.

Actum anno Domini M° CC° L° primo, mense martio.